



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIII. Explicatur tertia conditio requisita ad Meritum ex parte actûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

etur impossibile, saltem moraliter, æquari in efficaciam desiderium bene operandi, sicut illi operati sunt: Unde illud desiderium non comparatur ad eorum merita, sicut actus internus ad externum, cui ex se adæquari potest, sed sicut actus ad objectum adeo eminens, & quasi immensum, ut ei quasi impossibili adæquari non possit.

263. Respondeo 3. ad argumentum cum P. Arriaga. cit. n. 45. voluntatem illam dandi eleemosynam infinitam præcisè (idemque de aliis exemplis, quæ adduci poterant,) non habere meritum infinitum, utpotè quæ est de objecto confusè cognito, ideoque non posse habere tantum meritum, quantum haberet voluntas dandi eleemosynam infinitam in executione; siquidem talis voluntas, cum esset de objecto distinctè cognito, haberet majorem bonitatem; consequenterque majus meritum: sicut voluntas efficacæ dandi centum aureos pauperi distinctè cognitos magis meritoria est, quam si solum confusè cogniti ei impenderentur hujusmodi centum aurei. Alias aliorum solutiones adducit P. Arriaga cit. quas ipse rejicit, has tamen sufficit adducere pro argumento satis difficili, ut dicit idem P. Arriaga. cit. num. 39.

SECTIO XIII.

Explicatur tertia conditio requisita ad Meritum ex parte actus.

264. **T**ERTIA conditio requisita ex parte actus ad Meritum de condigno, est, quod actus sit moraliter bonus, ita ut bonitas moralis sit intrinseca, & essentialis conditio operis meritorii non minus, quam libertas, de qua hætenus diximus. Ita P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 4. n. 1. P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 3. P. Ovied. contr. 3. punct. h. P. Tanner. d. 6. de grat. q. 6. dub. 4. n. 70. P. Arriaga tom. 4. d. 53. n. 6. P. Agid. d. 8. de Merito, dub. 4. n. 40. P. Amicus tom. 3. d. 35. sect. 2. n. 14. & omnes alii, neque enim in hoc, inquit P. Soar. cit. n. 3. dissentientem Theologum, aut difficultatem alicujus momenti inveniri.

265. Probatur primò auctoritate Scripturæ ubi quoties loquitur de merito apud Deum in ordine ad vitam æternam promerendam, semper de opere moraliter bono mentionem facit, ut constat 2. Cor. 5. Ut unusquisque referat, prout cæsit, sive bonum, sive malum. Et 1. Tim. 6. Divitibus hujus sæculi præcipe in Deo vivo bene agere, divites fieri in bonis operibus ut apprehendant veram vitam. Et 1. Cor. 15. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Et 2. Petr. 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Confirmatur ex Trid. sess. 6. cap. 16. ubi doctrinam de meritis justorum tradens, aliqua ex proximè citatis loca adducit, & subdit: Atque idèd bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna Tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Et idem habet can. 24. 26. 32 & 41.

266. Probatur secundò rationibus: Prima, quia opus meritorium apud Deum debet aliquo modo in ejus gloriam, & obsequium redundare; sed hoc solum potest habere opus moraliter bonum, & honestum; ergo &c. Secunda, quia opus moraliter malum non est dignum præmio, sed poenâ; opus verò indifferens, aut nullum datur in exercitio, aut si datur, non est magis poenâ, quam præmio dignum;

ergo solum opus moraliter bonum, & honestum est capax meriti, & præmii. Confirmatur, quia quod remuneratur, remuneranti placet; solum enim remuneramur, quod in nostrum obsequium præstitum nobis placet; sed repugnat Deo placere actum malum; hoc enim esset actu complacentiam malum approbare, implicat autem sic Deum approbare, quod malum est; ergo nullus actus moraliter malus, sed solus moraliter bonus potest à Deo remunerari ut meritorius apud ipsum.

267. Advertes cum P. Vasq. cit. hanc conditionem requiri ad meritum, non ex voluntate, & libera ordinatione Dei, sed ex ipsa rei natura. Patet, quia ut actio sit meritoria, debet ex se, & non ex sola libera Dei acceptance dignitatem habere, ut supra diximus à num. 96. cum de libertate operis meritorii, egerimus; sed hanc dignitatem laudis, & præmii habere nequit, nisi sit bona, sicut neque dignitatem vituperii, aut poenæ, nisi sit mala; ergo &c.

268. Hinc, & ex supra dictis à n. 96. colliges primò, neque de potentia Dei absolutâ, posse actum malum meritorium esse apud Deum præmii, & vitæ æternæ. Secundò, hoc idem dicendum de actu indifferente (si hic datur, de quo alibi:) Patet primò, quia aut actus cedit in honorem, & gloriam Dei, aut non: Si primum; ergo non est indifferens, sed bonus: Si secundum; ergo manet extra essentiam, & definitionem actus meritorii, de qua supra. Secundò, quia actus indifferens prout sic, non potest esse demeritorius, cum non sit malus; ergo neque meritorius, cum non sit bonus; magis enim requiritur ad meritum, cum sit bonum, quem ad demeritum, cum sit malum.

269. Notat tamen hic P. Soar. cit. num. 3. id, quod diximus de actu indifferente, intelligendum esse de illo manente in sua indifferentiâ; nam si actus aliundè indifferens in bonum finem ordinetur, vel à Deo præcipiatur, jam non manet indifferens, sed bonus, & meritorius; siquidem in primo eventum participat bonitatem finis; in secundo autem obedientiæ. Non placet, nam aut sermo est de actu externo, aut de interno: Si primum, licet fiat ex præcepto, aut ex alio fine honesto, non habet aliam bonitatem præter denominativam ab actu interno; hæc autem non sufficit ad proprium, & distinctum meritum, ut supra diximus: Si secundum, aut talis actus internus supponitur elicitus, sive elicendus ex motivo indifferenti, & per alium actum distinctum ordinatur ab extrinseco ad exequendum præceptum; vel ad finem aliquem bonum, & tunc non habet majorem, aut diversam bonitatem, & meritum, quam habet actus externus prout sic ordinatus, & imperatus, ut patet ex supra dictis de actu imperato: aut talis actus elicitur, ut præcepto obtemperetur, vel ob alium finem honestum, ita ut habeat talem finem pro objecto motivo specificante, & tunc non transit de indifferenti in bonum, sed est intrinsecè bonus, ita ut nunquam fuerit, aut potuerit esse indifferens.

270. Oppositum tenuit Mayron. in 1. dist. 17. q. 2. pro quo: Obijciens t. Deus de potentia absoluta potest acceptare actum malum, vel indifferenter tantquam meritum gratiæ, & gloriæ; ergo ad rationem meriti non requiritur hæc bonitas moralis in actu, saltem ut quid intrinsecum, & essentialis. Respondeo negando antecedens: primum enim repugnat bonitati divinæ; siquidem id esset invitare ad malum, & in eo sibi complacere: Secundum verò etiam repugnat; siquidem id esset provocare præmio ad modum operandi vani, & præter rectam rationem, qualis est operatio per actum indifferenter.

271. Instabis: Deus potest acceptare actum indifferentem, & sub illius conditione promittere gratiam, & gloriam, cum in hoc nulla appareat repugnantia, aut indecentia; ergo &c. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; illa enim acceptatio, sive promissio divina nullum daret valorem, aut condignitatem actui indifferenti, sicut neque illam daret actui necessario, prout supra diximus; unde licet Deus illum acceptaret ad primum, non esset quia meritorius, sed tantum quia conditio, quâ posita Deus liberaliter præstaret donum suum sive gratiæ, sive gloriæ, nunquam tamen illas præstaret ut primum propter merita.

272. Objicies 2. Homines sæpè merentur apud alios homines per actus malos; ergo actus malus non est de se incapax merendi; sicque poterit etiam mereri apud Deum. Respondeo negando antecedens; nullus enim homo meretur, etiam apud alium hominem per actum, qui sit ipsi homini præmianti cedens in honorem, & utilitatem præmiantis; cum autem aliquando actus de se malus possit alicui esse utilis, & delectabilis, idè apud illum poterit censeri dignus laude, & præmio: hoc autem non potest contingere apud Deum, cui nunquam potest placere actus de se malus, neque cedere in illius honorem. Imò absolutè actus ille non est dignus laude, & præmio, sed vituperio, & supplicio.

273. Objicies 3. Exod. 1. constat, Deum præmiassè obsterices Egypti propter malum opus, nempe propter mendacium; ergo &c. Resp. negando antecedens; neque enim præmium illud fuit eis collatum propter mendacium, sed propter pium affectum, quem habebant erga pueros Habreorum: neque fuit præmium de condigno, cum obsterices non essent dignificatæ per gratiam: neque præmium supernaturale, sed naturale.

274. Hæc eadem solutio applicanda est aliis exemplis, quæ objici possunt ex Scriptura, ut de Rahab, Josue 2. & 6. & ad Hebr. 11. & de Rege Babylonis, Ezechiel 29. semper enim Deus præmiavit, aut aliquod opus moraliter honestum naturale, aut supernaturale præmio proportionato; nam licet concomitanter cum illo eliciatur aliquis actus malus, hic non vitiat opus bonum; siquidem non eò ipsò est illius circumstantia; sic enim justus, licet operetur aliquem actum bonum, & supernaturalem, concomitante aliquâ culpâ levi, non idè demeretur per talem actum, neque ipse actus manet malus, & demeritorius, ut ex infra dicendis constabit.

275. Difficultas igitur est: Utrum actus bonus, & aliqua ex parte malus, possit esse meritorius apud Deum? Sensus questionis est, utrum ad meritum ita requiratur tam pura bonitas moralis, ut nulla debeat esse in actu malitia? Advertes, hanc difficultatem in triplici sensu excitari posse: Primò de actu, qui intrinsecè, & formaliter sit simul bonus, & malus, quem aliqui admittunt possibilem. Hæc alii probabilius negent; siquidem malum ex quocumque defectu, bonum autem non, nisi ex integra causa; de hoc tamen alibi. Aut de actu ex objecto bono, & ex circumstantia malo: aut de actu eligente medium bonum, & tendente in finem indifferentem. Secundò de actu, qui sit intrinsecè bonus, & solum extrinsecè, atque denominativè malus ab aliquo actu malo imperante, ut probabilior sententia concedit, & nos cum illa concessimus in Log. 11. 5. d. 5. n. 84. licet alii valdè probabiliter negent. Tertio de actu simpliciter bono, qui tamen conjungitur cum alio malo, solum concomitanter ad

illum se habente, ut plerumque fit. His positis.

Conclusio 1. sit: Si daretur actus intrinsecè bonus simul & malus, non posset esse meritorius apud Deum. Ita communis Theologorum sententia. Probatum primò, quia hujusmodi actus esset simpliciter malus, & Deo displicens juxta illud D. Dionis. sæpiùs repetitum: *Malum ex quocumque defectu, &c.* ergo non haberet bonitatem sufficientem, ut esset meritorius apud Deum; quomodo enim poterit à Deo acceptari ad præmium, quod ei displicet juxta illud Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.*

Secundò, quia hujusmodi actus, si esset gravior malus, & vitiosus, mereretur apud Deum penam æternam; ergo implicat quod simul mereretur gratiam, & gloriam. Tertio, quia homo per hujusmodi actum gravior vitiosus fieret inimicus Dei; ergo non posset per illum mereri ejus amicitiam, sive gratiam, & gloriam. Confirmatur, quia homo neque gratiam, neque gloriam meretur per actum bonum, si simul per alium etiam diversum tenderet in objectum gravior malum; ergo à fortiori non illas merebitur per eundem actum simul bonum, & malum.

Dices: Hujusmodi actus posset esse supernaturalis, ut tenent Scot. in 2. dict. 40. quest. unica, §. De secundo. Almain. Oham. Caiet. Sor. P. Egid. P. Sal. & alii, quos citat, & sequitur P. Ripal. de Entre Supernat. d. 50. sect. 1. num. 2. ergo etiam poterit esse meritorius vitæ æternæ. Respondeo primò, dato antecedente, negando consequentiam: tum ob rationes assignatas: tum etiam, quia licet supernaturalitas requiratur ad meritum, non tamen sufficit, si desint aliæ conditiones; tali autem actui deesse bonitas moralis; siquidem esset simpliciter malus.

Respondeo secundò negando antecedens cum P. Sor. de Fide d. 6. sect. 7. n. 13. & lib. 2. de Grat. cap. 3. num. 14. & lib. 12. cap. 11. num. 16. P. Vasq. 1. 2. d. 53. cap. 4. P. Torres. P. Valent. 1. 2. d. 5. q. 1. pun. 2. P. Tanner. tom. 2. d. 3. quest. 2. num. 16. & 22. & aliis; siquidem Deus tunc concurreret ad talem actum, non solum ex debito causæ primæ, & universalis, prout concurrat ad quemlibet actum malum, illum prohibens, dissuadens, & supplicium minans; sed etiam ut causæ specialis, suadens, & per auxilia efficacia exhortans, & excitans ad illum operandum, & faciendum; hoc autem implicat; alioqui Deus diceretur causæ specialis, author, & suavor peccati; ergo &c.

Conclusio 2. Si detur actus ex objecto bonus, & ex circumstantia malus, aut è contrà, non esset meritorius apud Deum. Ita cum communi P. Sor. cap. 3. de Grat. lib. 12. cap. 4. num. 10. Gerson. lect. 4. de Vitâ spirit. Navar. in cap. Quando, notat. 6. n. 66. P. Vasq. 1. 2. quest. 114. art. 10. Zumel. ibid. P. Tanner. d. 6. quest. 6. dub. 4. num. 70 & alii. Probatum primò, quia talis actus diceretur simpliciter malus, & non bonus; siquidem malum ex quocumque defectu, bonum autem non, nisi ex integra causa; ergo non haberet dignitatem, quâ Deo placeret, & posset ab ipso acceptari; neque enim ad bonum, quod aliquo malo fœdatum est, respicere potest Deus, ut illi placeat, & illud ad præmium acceptet, juxta illud: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* Et illud Jerem. 48. 10. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.*

Probatum secundò, quia tale opus non potest dici pietatis; ac perinde neque gratiæ; ergo neque meritorium; hoc enim debet esse ex gratiâ, ut infra dicemus. Confirmatur, qui si idem opus posset esse bonum ex objecto, & malum ex circumstantia,

& prout sic meritorium, posset esse ex circumstantia, non solum leviter, sed etiam graviter malum; atqui hoc implicat; alioqui posset simul mereri damnationem aeternam, & praemium apud Deum, quod est absurdissimum, ergo &c.

282. Dices cum *Adrian. quodlib. 8. quest. 1. conclus. 1. D. Anton. 4. part. tit. 9. cap. 7. §. 4. & Medin. 1. 2. quest. 114. art. 10.* sequeretur, aut nulla, aut rara opera iustorum posse esse condigne meritoria apud Deum; siquidem vix est, qui opus bonum faciat sine aliqua levi culpa, & negligentia, juxta illud *Isai. 64. Quasi pannus menstruata universa iustitia nostrae*; atqui sequela non est admitenda; ergo &c. Respondeo negando sequelam; licet enim frequenter bona opera, etiam iustorum, habeant admixtam aliquam levem culpam, haec tamen habet se concomitantem ad talia opera, sicq; illa non reddidit mala, neque eorum meritum tollit, ut infra dicemus. Accedit, quod multa putantur ab hominibus bona, & meritoria, quae tamen apud Deum talia non sunt; non est tamen negandum in hominibus iustis reperiri saepe opera aliqua omni ex parte bona, & absque omni malitia, ut docuit *Trid. cit. sess. 6. cap. 16. & saepe alibi.*

283. Conclusio 3. Actus eligens medium bonum ob finem indifferentem, nempe auditionem Missae ad tempus terendum, non est sufficienter bonus, ut praemium consequatur. Est communis Doctorum sententia. Probatur, quia talis actus non est absolute bonus, & laudabilis, siquidem ut actus sit moraliter bonus, non solum debet respicere objectum materiale honestum, sed etiam propter motivum honestum licet, ut actus sit malus, sufficit tendere in objectum specificative pravam; ad bonum enim requiritur integra causa, ad malum autem sufficit quilibet defectus; atqui talis actus, licet respiciat objectum materiale honestum, qualis est auditio Missae, non illud respicit propter motivum honestum, sed indifferentem; ergo non est absolute bonus, & laudabilis; consequenterque neque meritorius.

284. Confirmatur, quia actus eligens medium honestum ob finem indifferentem, non eligit tale medium, quia honestum, sed quia utile ad finem indifferentem; atqui esse utile ad finem indifferentem, non est esse formaliter honestum, sed indifferentem; sicut esse utile ad bonum, est esse bonum, & esse utile ad malum, est esse malum; ergo licet talis actus tendat in objectum honestum, non tendit in illud ut honestum, sed ut indifferentem; consequenterque non est moraliter bonus, sed indifferentem; ac proinde non est meritorius.

285. Dices cum *P. Hurt. de Actib. human. diff. 8. & aliis apud ipsum*: Talis actus est absolute bonus; siquidem actus non desumit bonitatem a solo fine, sed etiam a medio; alioqui non esset magis bonum, neque magis meritorium apud Deum eligere Martyrium, quam largitionem eleemosynae ob ipsius Dei bonitatem; atqui actus ille haberet medium bonum; ergo ab illo lumeret bonitatem; essetque absolute bonus, & meritorius. Confirmatur, quia actus ille esset rationi consonus; ergo & bonus, & laudabilis; ac proinde meritorius.

286. Respondeo negando majorem, ad cuius probationem dicimus, actum delumere etiam bonitatem a medio, quando tendit in illud formaliter ut bonum, sicut accidit in Martyrio: non ita vero quando tendit in illud, non ut bonum, sed ut utile in terminis propositis; alioqui dicamus actum eligentem medium bonum ob finem malum desumere ab ipso medio bonitatem, & honestatem; esseque ab-

solute bonum, quod est falsum. Ad confirmationem negamus antecedens; est enim saltem vanum, & praeter rationem uti re bona, & honesta ad finem indifferentem consequendum.

Conclusio 4. Si detur actus intrinsece bonus a malo imperatus, (neque enim dari repugnat, ut diximus in *Log. tract. 5. d. 5. a num. 84. & alibi dicemus*) poterit esse meritorius. Ita *P. Lugo d. 15. de Penit. a num. 211. & de Fide d. 10. sect. 5. P. Ripal. d. 50. de Ente supernat. sect. 7. an. 21. P. Arriaga tomo 3. d. 18. an. 2. & alii apud citatos.* Probatur primo, quia actus, licet extrinsece malus, existit intrinsece bonus; ergo est capax terminare complacentiam Dei; consequenterque Deum movere ad remunerationem; siquidem bonitas moralis est, tum grata Deo, tum laude, tum praemio digna.

Dicent, bonitatem illam esse admixtam malitia; sicque non posse Deum in tali actu sibi complacere. Sed contra, quia cum illa malitia extrinseca potest stare bonitas intrinseca ipsius actus; ergo etiam cum displicentia Dei in malitia extrinseca poterit stare complacentia ipsius Dei in bonitate intrinseca. Confirmatur, quia Deus potest habere complacentiam de homine iusto, & displicentiam de illo ut venialiter peccatore; ergo etiam poterit sibi complacere de actu intrinsece bono, & displicere de illo ut extrinsece malo.

Probatur secundo, quia dolor de peccatis, sive actus Paenitentiae extrinsece malus ex intentione vanae gloriae, est impetratorius gratiae, & meritorius de congruo; ergo malitia extrinseca non admittit actui supernaturali proprium ipsius meritum; neque enim dolor ille extrinsece malus, seclusa malitia, haberet amplius meritum, quam impetrationis, & congruitatis, quod cum ipsa malitia retinet.

Probatur tertio, quia si finis extrinsecus privaret opera bona valore meritorio, sequeretur, miseriam esse conditionem humanam, utpotè cui adeo facile perirent sua merita; siquidem vix opus aliquod sit, quin affectus humani, & terreni se se ingerant, commodaque temporalia voluntatem alliciant, praesertim eorum, qui non adeo spiritualibus rebus dediti sunt, ex quibus eorum opera extrinsece vitari possunt; sed hoc non est admitendum; ergo &c. Confirmatur, quia si quis levi affectu vanae gloriae tactus, ex amore tamen supernaturali Dei Martyrium subeat, nullus crederet, eum propterea Martyrii praemio privatum; ergo &c.

Oppositum tenent *P. Soar. de Fide, d. 6. sect. 7. & tomo 3. de Grat. cap. 4. num. 10. & cap. 11. n. 16. Lorca. 2. tomo 1. d. 18. & alii apud P. Ripal. cit. num. 1. & 44. pro quibus*: Argues *1. Christus Dominus Matt. 6. Attendite, ait, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est. Et infra de facientibus eleemosynam, aut de orantibus publice, ut videantur, & honorentur ab hominibus; idemque de jejunantibus, concludit: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, id est, temporalem ab hominibus, sicque non recipient a Deo aeternam gratiam, & gloriae; ergo &c. Confirmatur ex D. Greg. hom. 12. in Evang. Compellor dicere, ait, ut bona, quae agitis, cum magna cautela teneatis, nec per hoc, quod a vobis retum geritur, favor, aut gratia humanae requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus a mercede evacuetur; ergo &c.*

Respondeo haec, & similia loca intelligenda esse de fine intrinseco ipsius actus; loquitur enim *Christus Dominus de actionibus externis, quae apparent.*

& videntur, quarum meritum, cum totum sit ab actu interno, si hic habeat finem malum, est ab intrinseco malus, & tales etiam sunt denominative ipsæ actiones externæ, prout supra diximus: at verò nos hic agimus de actu intrinseco bono, & solum extrinseco malo ab imperante malo. Nisi velimus dicere Christum Dominum loqui de hypocrisis, & vanâ gloriâ mortaliter peccaminosis, cum quibus repugnat status gratiæ condignificans meritum vitæ æternæ: nos autem loqui de imperio venialiter malo. Hoc idem dicimus ad confirmationem adductam ex autoritate D. Greg.

293. Argues 2. Talis actus est simpliciter malus, juxta illud: *Malum ex quocumque defectu, &c.* ex quo supra diximus, actum intrinseco bonum, simul & malum non esse meritorium; ergo neque meritorius erit ille actus. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, axioma illud intelligendum esse respectivè ad illud, quod actus habet ab intrinseco; aut quod ad illum necessariò requiritur: at verò imperium illud, & est extrinsecum, & per accidens ab illo exit actus bonus imperatus. Undè talis actus simpliciter, & absolutè est bonus, & solum ab extrinseco malus; denominatio enim absoluta potius desumenda est ab eo, quod actus habet ex se, & per se, quam ab eo, quod habet per accidens, & ab extrinseco.

294. Argues 3. Si hoc esset verum, sequeretur, si actus fidei Divinæ imperetur unice ab homine justo per actum venialiter malum, talem actum fidei posse esse meritorium; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo falsò supponi, actum fidei Divinæ posse imperari solum per actum voluntatis venialiter malum.

295. Instabis: Actus misericordiæ supernaturalis potest imperari unice ab actu reflexo voluntatis malo, si Deus prohibeat, ne actus misericordiæ reflexè imperetur; ergo etiam actus fidei Divinæ poterit unice imperari ab homine justo per actum venialiter malum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia assensus fidei, cum sit actus intellectus, sicque carens propriâ libertate, totum meritum habere potest denominativè ab actu honesto libero piæ affectionis: quæ tamen si ob intrinsecam malitiam non sit meritoria, neque ipsum assensum fidei denominabit meritorium: at verò actus misericordiæ cum eliciatur liberè formaliter, & in se, si procedat à voluntate elevata principio supernaturali, non indiget alio actu imperante reflexo, ideoque, si hic præcedat, id erit ex superabundanti, ac proinde non tollet bonitatem intrinsecam, neque etiam meritum, quod ipse actus habet ex se, licet ille sit venialiter malus.

296. Secundò, quia actus fidei, cum sit assensus firmus circa objectum invidens, per se petit fieri ex imperio piæ affectionis inclinantis intellectum ad talè assensum firmum propter autoritatem divinam; actus verò supernaturalis, cum sit specialiter à Deo, non potest per se petere, & fieri, & procedere ab actu malo: at verò actus aliarum virtutum, cum non habeant hanc specialem rationem exigendi alium actum, si hic superveniat, erit tantum per accidens, & ab extrinseco, sicque non tollet, quod ipsi habent ab intrinseco. Et ob hanc eandem rationem, sicut actus fidei Divinæ non potest imperari ab imperio voluntatis malo, ita etiam non potest imperari ab imperio naturali, quia etiam non est meritorium.

297. Dato tamen, quod assensus fidei imperetur à piâ affectione supernaturali, & intrinseco bonâ, & simul ex superabundanti ab alio actu malo, nempè

inanis gloriæ, quod fieri posse admittit P. Arriaga cit. num. 7. tunc assensus fidei non desinet esse meritorius ratione imperii meritorii, neque denominabitur simpliciter malus, sed unum imperium esset bonum, & aliud malum, & homo meretur per illud bonum supernaturale, & demereretur per istud malum, quod minimè aliud bonum vitaret, cum non esset illius circumstantia, sed tantum se haberet concomitanter.

Argues 4. Oculi Domini ita sunt mundi, ut non possint sibi complacere in malo juxta illud Habacuc. i. *Mundi sunt oculi Dei, & ad malum respicere non potest*; ergo non potest Deus sibi complacere in actu ex objecto, & intrinseco bono, qui imperatur ab imperio malo, & à quo, licet extrinseco, denominatur malus. Respondeo distinguendo consequens; non potest sibi complacere in illo actu, ut imperato; concedo consequentiam: ut præcisè elicitò; nego consequentiam: sic enim nullam habet malitiam, quæ tota est in ipso actu imperante intrinseco malo.

Instabis: Si talis actus esset prout sic Deo acceptus, & meritorius, aliquod præmium esset ei promissum; sed non ita est; siquidem actui malo nullum præmium est promissum; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, nulli actui intrinseco malo, cum sit simpliciter malus, promissum esse præmium: maxime verò actui intrinseco bono, licet extrinseco imperatus ab actu malo, cum sit simpliciter bonus; omni autem actui simpliciter bono promissum est à Deo præmium, & Deus in eo sibi complacet.

Urgebis: Deo verè & realiter displicet actio ipsa externa furti, licet motivum præcisè sit ipsa volitio interna, à quâ procedit externa; ergo etiam verè, & propriè Deo displicebit actus ille denominatus malus, licet ratio formalis, ob quam displicet, sit ipse actus imperans. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia id, quod de novo producit, est verè bonum, sicque potest Deus in eo sibi complacere; illa enim extrinseca denominatio mali non est à Deo, sed à mala volitione, quæ præcessit in actu imperante, cujus Deus non fuit causa, sed solius actus imperantis, neque per productionem illius, ut novi subiecti ejus denominationis, additur de novo quiddam, quod propriam habeat rationem malitiæ, imò intrinsecæ bonitatis: at verò in productione actionis externæ additur de novo aliquid malum, quia additur de novo aliquid prohibitum in ipsa volitione interna, quam Deus prohibens, etiam in illa prohibet ipsam actionem externam; sicque in nulla potest sibi Deus complacere.

Replicabis: Deus non potest supernaturaliter concurrere ad productionem talis actus; siquidem non videtur posse prout sic concurrere ad id, quod verè, & propriè odio habet, ut haberet illum actum, saltem ut imperatum; ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem cum P. Arriaga cit. num. 13. Deus enim verè & propriè concurret ad conservationem hominis peccatoris, quem tamen odio habet propter peccatum: & sæpè, etiam supernaturaliter, concurret ad producendum novum hominem, novam animam, eamque infundendam in corpore: & licitum est à Deo filios petere; cum tamen certum sit per productionem talis hominis produci novum subiectum, quod denominatur peccans à peccato Adami, & quod Deo magis displicet, quam actus ille imperatus extrinseco ab actu malo; ergo multò minus repugabit supernaturaliter concurrere ad talem actum intrinseco

intrinsicè bonum, in quo prout sic sibi complacet, licet sibi in eo displiceat ut imperato.

302. Argues 5. Si actus intensus ut octo esset nocivus saluti: aut à Deo prohibitus in tali intensione, talis actus, si fieret, esset malus non solum ut octo intensus, sed etiam in gradibus remissis infra octavum; ergo etiam ille actus erit demeritorius, & malus, quia & intrinsicè & extrinsicè non est bonus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia actus ille totus, & secundum omnes gradus esset nocivus, aut prohibitus, cum enim illa intensio coalescat ex omnibus illis gradibus, in illa sunt nocivi, & prohibiti omnes ipsi gradus, siquæ malus, & demeritorius est totus actus: at verò actus iste imperatus, ut supponimus, esset totus intrinsicè bonus, & solum extrinsicè imperaretur ab actu malo; hæc autem malitia derivata ab imperio malo non vitaret intrinsicè bonitatem.

303. Argues 6. Si huiusmodi actus prout sic imperatus posset esse meritorius, sequeretur, si actus mortaliter peccaminosus imperaret actum supernaturalem (quod fieri non repugnat, ut dicit P. Arriaga cit. num. 12.) talem actum prout sic imperatum, cum sit ab intrinsicè bonus, & immediatè liber, esse meritorium de congruo; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando minorem; si enim status peccati mortalis non impedit meritum de congruo, cur illud impediet actus imperans in casu proposito?

304. Argues 7. Imperium pravum efficax tollit libertatem ipsius actus imperati; sed actus, ut sit meritorius, debet esse formaliter, & immediatè liber, ut supra diximus; ergo talis actus sic imperatus non esset meritorius. Respondeo resolutionem hanc non procedere de actu efficaciter, sed ineffaciter imperato ab actu malo. Addo, quod non semper actus efficax imperans tollit libertatem, ut supra diximus num. 168.

305. Argues 8. Idem actus intrinsicè bonus, & malus, non potest esse meritorius, sed solum demeritorius: tum quia ad demerendum sufficit, quod sit aliquo modo malus, cum malum sit ex quocumque defectu: tum etiam, quia si idem actus esset simul meritorius, & demeritorius, obligaret, & deobligaret simul ad præmium; sed hoc ipsum esset in illo actu intrinsicè bono, & extrinsicè malo, ut consideranti patebit; ergo sicut ille, ita & iste est absolutè demeritorius.

306. Respondeo cum P. Ripal. cit. n. 46. negando minorem; falsò enim supponitur in nostro casu esse unum, & idem opus meritorium, & demeritorium, sicut dicitur fore unum, & eundem actum intrinsicè bonum, & malum: siquidem in nostro casu esset duplex opus, aliud demeritorium in actu imperante, & aliud meritorium in actu imperato ab imperante distincto; neque enim implicat quod homo in eodem instanti mereatur per unum opus, & demereatur per aliud; quid enim implicat, quod simul otiosè loquatur, & per actum misericordiæ elemosynam largiatur, siquæ per unum opus contrahat debitum pœnæ temporalis, & per aliud eidem pœnæ satisfaciatur.

307. Conclusio 5. Si actus simpliciter bono conjungatur alius actus leviter malus, qui solum concomitanter ad illum se habeat, non ideo ille primus desinet esse meritorius. Est communis Doctorum sententia. Probat, quia in eo casu actus leviter malus nõ reddit alium simpliciter malum; siquidem neque est illius circumstantia, neque tollit ejus libertatem, sed solum concomitanter ad illum se ha-

Tom. 2.

bet, & per accidens; ergo non destruit ejus meritum.

308. Confirmatur primò, quia actus intrinsicè bonus non vitatur ab actu malo extrinsicè illum imperante, ita ut non sit meritorius, prout hæcenus diximus; ergo à fortiori non ita vitabitur ab actu concomitanter, & per accidens ad illum se habente. Secundò, quia non repugnat, quod quis bonum aliquod opus faciat coram aliis optima intentione, & debito modo, & eodem tempore insurgat cogitatio aliqua vanæ gloriæ, nempe quod propter tale opus reputabitur ab aliis Sanctus, siquæ de hoc venialiter delectari, sunt enim huiusmodi actus disparati, & in illis nulla apparet repugnantia; sed in eo eventu actus malus non erit circumstantia actus boni, cum non sit illius finis, ut supponitur, neque alia circumstantia ibi locum habeat; siquidem actus malus supponit bonum cum omnibus suis circumstantiis, & bonus solum se habet quasi illius objectum materiale; ergo non est ex quo actus bonus vitetur, & meritum amittat.

SECTIO XIV.

Explicatur quarta conditio ex parte actus.



309. QUARTA conditio, quæ requiritur ex parte actus ad meritum de condigno, prout supra diximus, est, quod ipse actus procedat ex auxilio gratiæ, & sit aliquo modo supernaturalis, siquæ huiusmodi conditio duas partes videtur continere, nempe & quod ex auxilio gratiæ actualis procedat; & quod sit aliquo modo supernaturalis: pro quibus sit:

310. Conclusio 1. Ut actus sit meritorius de condigno apud Deum, debet procedere ex auxilio gratiæ actualis ipsius Dei. Ita P. Bellarm. lib. 5. Justificat. cap. 15. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 7. num. 2. ubi hanc sententiam dicit omninò veram. P. Vasq. 1. d. 217. cap. 5. num. 41. ubi id dicit ad fidem Catholicam pertinere. D. Thom. 1. 2. quest. 109. art. 5. & q. 114. art. 2. Caiet. 1. part. quest. 63. art. 6. ad 3. dub. 1. Waldens. tomo 3. de Sacramentalib. cap. 9. Osius in Confess. cap. 66. Lindan. lib. 3. Panoplia cap. 20. P. Tanner. d. 6. quest. 6. dub. 4. n. 72. P. Arriaga tomo 4. d. 53. sect. 1. num. 8. ad finem. P. Compton. tomo 1. d. 126. sect. 8. num. 1. & alii.

311. Probat, primò autoritate Scripturæ Joan. 15. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere: sed huiusmodi fructus in meritis maximè consistit, quem tamen sine Christo, id est, sine ejus auxilio facere non possumus; ergo ad quodlibet opus meritorium de condigno requiritur auxilium gratiæ. Item ad Philip. 2. ibi: Cum metu, & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim, qui in vobis operatur, & velle, & perficere pro bona voluntate; sed per quodlibet opus meritorium operamur salutem; ergo in omni opere meritorio Deus incipit, & perficit per auxilium actuale. Item 1. Cor. 3. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit; sed quodlibet opus meritorium de condigno est aliquod gratiæ, & sanctitatis incrementum; ergo Deus est, qui omne huiusmodi incrementum dat per suum auxilium. Item 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed opus meritorium non fit sine pia cogitatione; ergo sicut hæc, ita & illud non poterit fieri

00